DE OOPHORITIDE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE V. M. FEBRUARII A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS GRUBITZ

SAXO-BORUSSUS.

Opponentibus:

C. FRICK, med. et chir. Dr.
C. DANNENBERG, med. et chir. Dd.
F. W. KUEHNE, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO

COMITI DE ALVENSLEBEN,

REGIS SOCIO REI PUBLICAE REGENDAE ET ADMINISTRO ACTUOSO, CURAE AERARII PRAEFECTO SUMMO, PRINCIPATUS HALBERSTADIENSIS DAPIFERO HEREDITARIO, CUBICULARIO, COMPLURIUM ORDINUM SUMMORUM ET BORUSSICORUM ET PEREGRINORUM EQUITI ETC. ETC. ETC.

DOMINO SUO LONGE GRATIOSISSIMO,

FAUTORI AC PATRONO OMNI PIETATIS CULTU PROSEQUENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATISSIMI ANIMI SUMMAEQUE VENERATIONIS SIGNUM
MAXIMA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Ovariorum inflammatio, cui oaritis Ploucquet, oophoritis Clarus nomen dedere, in eorum morborum est habenda numero, qui quamvis non raro existant, raro tamen dignoscuntur, et hanc ob causam non recte curantur. Haec res efficit, ut oophoritis, cui natura nisus, ut se ipsa sanet, non magnus inest, creberrime exeat in pseudocrises (si fuit acuta), vel in degenerationes organicas (si fuit chronica); qui morbi facilius quidem dignoscuntur, sanationi autem maxima eademque inexsuperabilia impedimenta offerunt. Hae conditiones multum quoque in oophoritidis litteraturam valuere, quae quum eam aliorum morborum a patre Hippocrate usque repetere liceat, a saeculo demum superiori, a Morgagni scilicet incipit, qui anno 1762 hunc morbum nostrum in libro »de causis et sedibus morborum per anatomen indagatis. Venetiis 1762.« primus descripsit.

Ab hoc inde tempore oophoritis saepius est et observata et adumbrata, sed eorum, qui illam descripsere,

sententiae valde inter se differunt. Praestantissimi de hoc morbo libri hi fere sunt:

Motz, dissert. de structura, usu et morbis ovariorum. Jenae 1789.

Clarus, Annalen des königlichen klinischen Instituts am St. Jacobshospitale in Leipzig. 1810. Tom. I.

Ab Hildenbrand, Institutiones practico-medicae. Tom. III. Viennae Austriae 1822.

Rücker, diss. de morbis ovariorum. Vien. 1815.

Henning, diss. de oophoritide. Berol. 1825.

J. Seymour, Illustrations of some of the principal diseases of the ovaria, their symptoms and treatment. London 1830.

Mad. Boivin, traité prâtique des maladies de l'utérus et de ses annexes. Tom. I. Paris.

Carus, Lehrbuch der Gynaekologie. Leipzig 1820.

Löwenhardt, diagnostisch - practische Abhandlungen. T. I. Abhdl. 3. Prenzlau 1835.

Naumann, Handbuch der medicinischen Klinik. Tom. VIII. Berlin 1838.

Schönlein, Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie, nach dessen Vorlesungen niedergeschrieben u. herausgegeben von einigen seiner Zuhörer. St. Gallen und Leipzig 1839.

Robert Lee, Untersuchungen über das Wesen u. die Behandlung einiger der wichtigsten Krankheiten der Wöchnerinnen. A. d. Engl. v. Schneemann. Hannover 1834.

Andral, Grundriss der pathologischen Anatomie. A. d. Franz. v. Becker. T. II. Reutlingen 1832.

Rokitansky, Handbuch der speciellen patholog. Anatomie. T. II. Wien 1812.

SYMPTOMATOLOGIA.

1. Symptomata localia. Aegrotae in alterutro saepiusque, ut experientia docet, in sinistro vel in utroque hypogastrii latere, ejusdemque loco eo, quo conjunctus cum osse ileum est ramus ossis pubis horizontalis, dolorem sentiunt, qui secundum Ill. Schönlein observationes in inflammatione acuta, antequam hoc loco fixus fit, per horas viginti quatuor vel triginta sex in toto hypogastrio vagatur. Secundum Clarus dolor plerumque tam levis est, ut ab aegrotis ipsis vix animadvertatur, sed regione inguinali et hypogastrica manu compressa ita augetur, ut aegrotae os distorqueant, atque in motus crurum convulsivos incidant. Secundum alios scriptores varius pro varia specie morbi est dolor. In oophoritide acuta dolor vehemens, pungens est atque urens, ac si morbus in majorem gradum est evectus, dolorum ad partum instar aegrotas cruciat. In oophoritide cruenta dolor est acerrimus ac secundum ligamentorum uteri rotundorum decursum propagatur, quod idem in chronica oophoritide occurrit interdum, in qua ceterum est obtusus et premens. Qualiscunque autem est, augetur atque ad majorem evehitur gradum omni insultatione partis

laborantis vel directa vel indirecta, veluti sub tactu abdominis integumentorum, aut in exploratione per vaginam et per rectum instituta, de qua propterea, quod ad diagnosin maximi est momenti, pauca mihi liceat afferre. Löwenhardt, qui primus quantum valeat haec perscrutatio, intellexit, de ea ita loquitur; exploratione per vaginam certi aliquid aegrius reperitur, quam eadem per rectum suscepta. Modus procedendi autem in illa idem est, qui in explorationibus obstetriciis est usitatus. Collum uteri eam faciens non dolens invenies, neque dolores in abdomine valde auctos, si parietes fornicemque vaginae tetigeris, nisi in parte ejus superiore digitum ad latus affectum repente vehementerque admoveris. Perscrutatio vero per intestinum rectum instituta, per quam caetera quoque symptomata localia, de quibus infra sermo erit, optime cognoscuntur, juxta uterum locum valde dolentem esse docet. Optime haec exploratio hac ratione instituitur. Sedeat in lecto magis quam cubet aegrota, femoribus adductis atque pulvinari sustentis et fultis, corporis parte superiore retro et in latus sanum inclinata, vel insideat — id quod medico commodius est — sellis duabus ita, ut anus accessu facilis remaneat, in quem digitus index oleo obductus clunibus distractis inmitti possit. Deinde dolor augetur, si aegrotae in sanum latus incumbunt, tum in coitu et in fluxu menstruorum, postremo secundum Löwenhardt in subita corporis erectione, potissimum, si peritonaei, quae ovarium obducit, pars in-

flammatione est correpta, quo in casu dolor quoque magis est superficialis, vehemens, pungens, quum in oophoritide parenchymatosa magis interiore pelvi pulsans, premens, obtusus sentitur. Osiander in libro suo de morbis evolutionis sexus feminini Tom. II. pag. 129. hoc fere modo dolorem ejusque propagationem describit: Vel in levissima, inquit, oophoritide ardoris sensus, dolentesque contractiones in regione inguinali et in femorum flexuris adsunt, cum doloribus in utroque femore, quod lassitudinem sentit majorem, conjunctae. In gravioribus casibus ad haec accedunt dolores excruciantes lumborum nec minus femorum.

Quamdiu inflammatio latius non propagatur, hic dolor finibus regionis, in qua affectum organon situm est, continetur, quod quidem non semper fit, quum plerumque aut ipso initio, aut primis morbi diebus inflammatio in peritonaeum propagetur, quod fit facilius, si momenta, quae id ad inflammationem disponunt, uti puerperium, antecessere. Hac propagatione facta, praeter dolorem acerrimum in parte peritonaei correpta, modo vesicae urinariae, modo intestini recti affectiones oriuntur. Illae si adsunt, aegrotae de crebra urinae cupiditate, deque ardore inter mingendum conqueruntur, qui interdum tantus fieri potest, ut si rem non accuratius inspexeris, tunicam vesicae urinariae mucosam inflammatam esse facile putes, quam ad opinionem hoc facilius perduci poteris, quod magna tensione magnaque sub tactu sensibili-

tate regio vesicalis est praedita. Sin autem ad parietem peritonaei posteriorem inflammatio propagatur, vesica urinaria minus quam rectum in consensum trahitur, quod cognoscitur ex pressu vehementi in pelvi interiore, e minore regionis hypogastricae tensione et ardore et sub tactu externo sensibilitate, ex irrita desidendi cupiditate, quae aegrotam saepe invadit, neque raro adeo augetur, ut tenesmus oriatur inter dejectiones, quibus aliquantulum modo muci intestinalis ejicitur, quae symptomata morbum dysenteriae simillimum reddunt.

Jam transeamus ad aliud oophoritidis symptoma, calorem dico, quem et aegrota ipsa et medicus explorans percipit. Externa etiam abdominis integumenta eo loco, sub quo ovarium inflammatum situm est, calidiora sunt, imprimis si inflammatio vesicam urinariam versus se extendit, minus si versus rectum. Pari modo calor adauctus est recti et vaginae, quae uti uteri collum est sicca. Hocce caloris vero symptoma in acuta potissimum animadvertitur oophoritide, quum in chronica, ne dicam, abest, sed magis recedit.

Tertium idemque gravissimum symptoma est intumescentia ovarii inflammati, quae efficit, ut abdomen tendatur atque interdum etiam tumescat. Per abdominis integumenta supra unum alterumve inguen vehementius compressa, nec minus per vaginam et modo demonstrato per rectum ovarium sentire licet in tumorem magnitudinis nucis juglandis commutatum, qui durus est at-

que digito resistit prementi et secundum Schoenlein catameniorum tempore crescit, quod tum quoque fit, si in pseudocrisin exit morbus, de quo postea. Ab utero, qui piri formam magis adaequat, ovarium inflammatum forma sua rotunda distinguitur.

Nec quartum deest in oophoritide cujusvis inflammationis symptoma, ruboris, qui quamvis inter vitam animadverti nequeat, post mortem in omni ovario inflammato reperitur. Qua de re uberius in capite, quod de dissectione cadaverum agit, loquemur.

Omnia haec, quae enarravimus, symptomata localia, varii intensitatis gradus esse possunt, tum sunt acerrima, tum, uti in chronica potissimum oophoritide, levissima, consensualibusque, quae provocavere, valde inferiora. Consensualia autem symptomata maxime peculiaria sunt nervosa, quae non raro efficiunt, ut cum hysteria confundantur. Aegrotae sensum percipiunt pressionis aut versus ventriculum una cum vomituritionibus vel ipso vomitu, aut pectus versus aut versus caput, quae symptomata pyrosi, asthmati, clavo, cephalaeae hystericarum sunt simillima, et interdum vespertino inprimis tempore in convulsiones ac deliria abeunt. Quae deliria etiam perpetua fieri possunt, atque semper sunt erotica vel in pudicissimis probissimisque puellis, nec raro ad summum nymphomaniae fastigium evehuntur. Sunt autem haec symptomata admodum varia pro vario inflammationis gradu, proque aegrotarum varia indole. Refert enim

plurimum, utrum virgo honesta illa quidem, sed cupidine sexuali insatiata flagrans, an puella Veneri vulgivagae addicta, an puerpera, an denique foemina aetate jam provectior morbo illo corripiatur. Symptomata nervosa in puellis publicis inprimis praecellunt, in quibus Clarus auctore hujusmodi sunt. Jam ante morbum ipsum exortum interdum symptomata, quae psychicum statum laesum aperte indicant, adsunt, uti timiditas quaedam et pusillanimitas singularis, anxietas universalis, proclivitas in iram, modo hilaritas animi insolita, modo tristitia ac solitudinis amor, plerumque phantasia exaltata et incitata cupido sexualis. Saepenumero morbus deficientibus his prodromis statim post causas nocentes illatas oritur, idque spasmis acerrimis epilepticis, qui non raro etiam in morbi decursu revertuntur. Aegrarum ex oculis et vultu latentis cujusdam gravis curae imago adparet, interrupta interdum risu sardonico: quandoque subito clamant, verbisque indecoris delusae imaginationis objecta produnt, blasphemant, comite continuo motu crurum, quibus cum violentia versus infimam spondae partem nituntur. Praesentia virorum cuncta symptomata intendit. Hanc descriptionem Carus, Schmalz, Osiander, Harless, Schönlein omnino probant, quomodo fit, ut credamus, Löwenhardt, qui se haec symptomata unquam vidisse negat, occasionem fortasse datam non fuisse, morbum in talibus observandi individuis, in qualibus eam vidit Clarus, nam in diagnosi non erravit, quod cadaverum dissectio-

nes ab eo institutae docent; eandem, quam ille, sententiam habet Mende.

Praeter haec symptomata psychica, alius generis quoque consensualia adsunt, uti nausea, vomituritiones, ructus, vomitus massarum flavarum vel aeruginosarum, cephalaea, photophobia, pupillarum dilatatio, susurrus aurium, agrypnia et lipothymiae. Respiratio suspiriis intermixta musculis abdominis et diaphragmate non adjuvantibus perficitur; si vero diaphragma contrahitur, extemplo tussis sicca ac permolesta exoritur. Labium pudendi externum aut affecti tantum lateris, aut utriusque, oedemate tumet, parique modo ligamenta uteri rotunda turgent in hac praecipue morbi specie, quam Schoenlein sub nomine oophoritidis cruentae sive haemorrhagicae descripsit, quaeque ceterum excellit metrorrhagiis copiosis, quae convulsionibus vehementibus praenuntiantur. Menstruorum fluxus perquam est turbatus, vel totaliter suppressus, praesertim in acuta oophoritide, vel valde irregularis, modo parcus, interruptus, modo copiosus. Interdum leucorrhoea quoque adest benigna. Mende auctore interdum symptomata haemorrhoides simulantia occurrunt, praecipue pruritus ani; secretiones autem, quales apud haemorrhoidarios esse solent, omnino desunt. Lochiorum praeterea fluxus, si adfuit, cessat; in mammis collapsis neque lac secernentibus interdum dolores pungentes parvaeque indurationes sentiuntur. — Jam denique paucis morbum quendam commemoremus, qui pecu-

liare quidem nihil habet, sed huc pertinet, quia a compluribus auctoribus, uti a Bartels symptoma vel sequela oophoritidis, imprimis chronicae habetur, colicam scortorum dico. Hancce auctor modo laudatus ex oophoritide chronica reflexionem quidem in uterum faciente oriri, dolores colicos esse neuralgicos, et ad tractum intestinalem minime pertinere contendit. Rave, qui contrariam habet sententiam, i. e. dolores ab oophoritide non pendere, et in colo potissimum versari, tamen se bis in utroque inferioris ventris latere, in quo ovaria sita sint, illos dolores vehementissime debacchari vidisse confitetur.

His cum symptomatibus saepe symptomata reactionis seu febrilia sunt conjuncta, quorum respectu habito oophoritis dividitur in febrilem, acutam, et in afebrilem, chronicam. Eorum praesentia, uti in omnibus inflammationibus, pendet ab intensitate ac vehementia causarum, ab decursu inflammationis rapido, ab aetate, indole et constitutione aegrotae et ante omnia abs charactere epidemico et endemico. Febri imprimis conjunctae sunt oophoritis puerperalis, haemorrhagica atque erysipelatodes sive peritonaealis, in qua pars peritonaei ovarium obducens est inflammata; caret autem illa plerumque oophoritis parenchymatosa, id est inflammatio substantiae ovarii propriae sive stromatis.

In oophoritide puerperali, quae Roberto Lee teste, qui primus eam descripsit, in insidiosissimos et periculosissimos puerperarum morbos est referenda, febris oritur

vehementissima, quae absque morbo, uti videtur, locali per dies complures, quin etiam per integram septimanam et quod excurrit, perdurat. Lochiorum fluxus interdum est normalis, nec dysphoria aegrotarum magna. Repente autem deliria intrant, aut status soporosus, quem jam paucis horis post mors insequitur inexspectata. — In plerisque casibus febris est erethica ad nervosam vergens, exque his composita symptomatibus. Pulsus, cujus qualitas ceteris symptomatibus acerrimis saepe minime respondet, justo est frequentior, initio fere semper celer et mollis, raro plenus ac tensus, qualis postea fit. Res si male cedit, pulsus fit parvus, contractus, celer et frequentissimus. Lingua est sicca, muco obtecta flavo, ciborum appetentia vel diminuta vel omnino sublata, alvus adstricta, urinae parcae interdum rubrae, interdum pallidae uti hystericarum, cutis arida aut urens, aut justo frigidior.

Diagnosis oophoritidis multis in casibus valde est difficilis, nam multi sunt morbi, quibus oophoritis est simillima. Jam videamus, quomodo a singulis differat. Discrepat autem

1. Ab encephalitide defectu congestionum sanguinis ad caput, pulsuum frequentia modica, genere deliriorum peculiari, symptomatibusque localibus.

2. A mania iisdem symptomatibus localibus.

3. Ab nymphomania. Haec quidem saepenumero cum oophoritide est sociata, neque raro eam sequitur;

sin autem est mera, caret et ipsa symptomatis localibus, quibus excellit oophoritis.

4. Idem valet de hysteria, cujus insuper symptomata originem ex alio organo, utero scilicet ducunt. Patet autem per se, talibus in morbis explorationem localem, imprimis per rectum et per vaginam, nunquam esse negligendam. Recedit vero oophoritis

5. A metritide. Hoc in morbo symptomata localia non adeo imparia sunt consensualibus, quam in oophoritide; illa enim sunt clariora ac vehementiora, haec minora aliusque indolis. Quum enim in oophoritide systema nervosum prae ceteris in consensum trahatur, in metritide plus laborat systema sanguiferum, quo accidit, ut febris, quae eam comitatur, sit vehementior. Deinde in metritide ventriculus saepius ac vehementius quam in oophoritide afficitur; praeterea raro exstat metritis extra puerperium, quod hic non accidit; postremo in metritide vagina quoque est tanquam inflammata, uterique collum durum et dolorem praebens.

6. A peritonitide. Hoc in morbo febris longe est vehementior, dolor acrior, latiusque extensus; affectio ventriculi maxima; deliria vero erotica desunt.

7. A cystitide. Hoc in morbo dolor pone pubem percipitur, atque affectio colli vesicae per vaginam optime cognoscitur; dysuria est maxima; tumor juxta uterum desideratur.

8. A graviditate extrauterina, praesertim ovaria.

Haec secundum Heim peculiari quadam oris distorsione peculiarique feminarum clamore cognoscitur, nec desiderantur in ea haec signa, quae uterus in graviditate uterina praebet.

9. A psoitide dissentit oophoritis mobilitate extremitatis inferioris non sublata.

Decurrit oophoritis in universum non rapide, sed lentè procedere solet, nec raro per complures perdurat annos. Interdum typum praebet septenarium, ita ut die septimo vel decimo quarto decernatur. Exstant vero casus, in quibus jam die tertio exitus intravit lethalis. Celerrime oophoritis puerperalis terminatur. Clarus speciem quandam oophoritidis valde chronicam statuit, quae sola anomala menstruatione ac phaenomenis nervosis co gnoscatur et causa degenerationum ovariorum organicarum pervulgaris sit. Secundum Löwenhardt symptomata oophoritidis chronicae eadem sunt atque acutae, a qua minore intensitate, majore diuturnitate differunt. Nec hanc ipsam exaltatione libidinosa unquam stipatam animadvertit.

Exitus oophoritis varios habere potest:

1. In resolutionem, quae quidem sperari potest, si cruditatis signis cessantibus dysphoria aegrotarum diminuitur, febris remissiones facit longiores, pulsus fit tardior, major et undosus, respiratio facilior, dolor minor; dein si cutis emollita tumescit, urinae largiores enaeoremata praebent; si lingua denique pura, neque caput amplius

grave est, neque dolet. Plerumque crisis formatur sudore abundante et per totum corpus aequali, qui levamentum aegrotae quam maximum parat, saepeque apud puerperas, in quibus lac simul denuo secernitur, odore quodam acidulo peculiari praeditus est, et a pulsu, qui jam antea bonam accipit indolem, annuntiatur. Interdum etiam in cute vesiculae erumpunt parvae miliares, claro pellucidoque repletae fluido, quae post aliquot dierum spatium desquamatione furfuracea removentur. Nonnunquam urina potissimum morbus dijudicatur, in qua largius emissa substantia rosacea, flava, aut lateritia fundum petit. Rarius observantur excretiones alvi criticae, quum inflammatione jam fracta alvus sua sponte exoneretur, quin etiam diarrhoea non est exoptanda, quia per antagonismum sudorum criticorum excretionem facile turbat.

Pro dijudicatione locali fluxus revertens menstruorum et lochiorum est habendus, nec non metrorrhagiarum cessatio. Simul cum his phaenomenis symptomata nervosa retrocedunt. Post hunc exitum, qui tamen ceteris longe est praeferendus, saepe pressionis ac tensionis sensus in inferiore pelvi remanet, qui ad regionem epigastricam interdum propagatus, feminas subita praecipue corporis erectione vexat.

2. In exsudationem lymphae coagulabilis, quae si intrinsecus est ejecta, indurationem ovarii, si extrinsecus, coalescentias ovariorum cum variis partibus vicinis efficit, quarum frequentissime, quae occurrunt, sunt eae, quae

cum tubis Fallopii observantur; rariores, quae immediate cum utero aut colo aut recto aut vesica urinaria aut abdominis pariete quodam animadvertuntur. De singulis exempla consignavere Morgagni, Loder, Walter, Ruysch, Andral, Lee, Rokitański, alii. Haec morbi terminatio ovarii functionem quidem omnino tollit, sed vitae periculum nullum secum fert.

3. In suppurationem, qui exitus plerumque his stipatus est phaenomenis: febris et symptomata inflammatoria valde decrescunt, quamquam symptomata critica nulla in lucem prodeunt. Eorum loco horripilationes frequentes oriuntur, frigorisque et gravitatis in ovariorum regione sensus. Praeterea febris transit in lentam, quae bis singulis diebus exacerbescit; volae manuum ardentes, genae rubore circumscripto praeditae, cutis sudoribus partialibus viscidis obtecta, urina turbida, crura labiaque pudendi oedematosa, totum corpus emaciatum. Interdum abscessu dirupto pus in cavum abdominis effunditur, quam rem peritonitis insequitur lethalis; nonnunquam vero, si ovarium cum viscerum vicinorum aliquo, vesica urinaria, aut intestino concretum est, pus extrinsecus ejicitur et cum urina vel cum faecibus effluit, fistulis inter ovarium et organis illis relictis. Si cum abdominis integumentis conglutinatum est ovarium, pus haec penetrat et vel in regione inguinali, vel abscessum formans congestivum in loco quodam remoto, uti in natibus, aut in crure erumpit, quo facto aegrota interdum sanatur.

4. In gangraenam. Si inflammatio jam protinus ab initio vehementissima est, atque insuper de hora in horam increscit, saepe jam die altero vel tertio gangraena terminatur, quae ex his cognoscitur signis. Dolores simul cum ceteris phaenomenis inflammatoriis subito cedunt; algor vehementissimus intrat, pulsus fit celerrimus, minimus, tenuis, intermittens: lipothymiae frequentes, sedes involuntariae, extremarum partium frigus, facies hippocratica, denique mors.

5. In degenerationes, quae chronicam imprimis oophoritidem subsequuntur atque multae possunt esse et variae, uti hypertrophia, atrophia, scirrhus, hydrops tam unicellulosus, quam hydatidosus, conversio substantiae ovariorum in adipoceram, quae non raro concrementa ossea aut integros dentes, pilos etc. includit. Harum rerum exempla ab omnibus fere scriptoribus anatomiae pathologicae permulta memoriae sunt prodita.

6. In morbos psychicos, praecipue nymphomaniam, quae terminatio eo modo perficitur, ut symptomata et localia et febrilia cessent, deliria continua fiant. Eo quadrat, quod saepius nymphomaniacarum ovaria hypertrophica, degenerata, tubaeque Fallopianae concretae sunt inventa.

7. In mortem, quae aut per inflammationem ipsam in peritonaeum propagatam adducitur, aut per deliria, quae continua fiunt, prius activa, furibunda, dein mussitantia et ita paralysin cerebri lethalem provocant; aut

per exitus in suppurationem, in gangraenam, in degenerationes ovarii. Si per suppurationem mors adfertur, hoc tali modo fieri potest, ut pus ex ovario in cystam converso non ejiciatur, qua re symptomata procreantur, iis, quae in febri nervosa adesse solent, similia: deliria perpetua erotica, lingua sicca, cutis calorem mordacem sub tactu praebens, pulsus arteriarum vix enumerandi, diarrhoeae colliquativae — quae omnia intra paucorum dierum spatium mortem adducunt. Dein aegrota per febrem hecticam quoque exstingui potest, si abscessu extrinsecus dirupto fistulae suppurantes remanent. De peritonitide lethali, effluxum puris in abdominis cavum sequente, supra jam sumus locuti. Gangraenam ovarii semper lethalis exitus insequitur. Degenerationes organicae aut per exinanitionem virium, quam saepissime efficiunt, aut per compressionem aliorum abdominis intestinorum, quorum tolluntur functiones, aegrotam necant.

C a d a v e r u m d i s s e c t i o secundum R o k i t a n s k y varia docet, prout fuerit oophoritis in connexu cum puerperio, aut non. Si fuit puerperalis, totum ovarium inflammatum reperitur, aut lympha plastica infiltratum, aut in abscessum jam commutatum, aut gangraenosum. Interdum complura loca sunt suppurantia, quae postea confluunt, interdum in toto ovario simul pus oritur, quod ovarii parenchyma sensim ac pedetentim destruit et solvit, ita ut cysta pure repleta insignis interdum magnitudinis exsistat. Ovarium contra extra puerperium inflam-

matum ac dissectum haec praebet: folliculi tantum inflammati, unius alteriusve parietes sanguine injecti, rubri, emolliti reperiuntur, fluidum sanguine admixto rubicundum, turbidum, floccosum, non raro purulentum continentes. Löwenhardt et Andral auctoribus rubor aut solos ovariorum folliculos circumdat, aut, quod saepius accidit, toti aequaliter ovario suffusus est. Saepe ovaria inveniuntur emollita, aut involuta exsudata lympha plastica. Vasa sanguifera et lymphatica vicina interdum pure reperiuntur repleta. Sphacelum ovarii observarunt Sidren, River, Schenk, Löwenhardt. De iis rebus, quae post exitum in degenerationes deprehenduntur, conferas scriptores supra laudatos. —

Aetiologia. Intra certam tantum vitae periodum oophoritis mulieres solet ingredi, in intervallo scilicet, quod interest inter pubertatis evolutionem mensiumque cessationem; nec antecedente, nec subsequente tempore hujusque unquam est observata. Maxime ad hunc morbum praedispositae sunt aut mulieres annorum sedecim usque ad viginti quinque. Caussae ceterae praedisponentes sunt imprimis psychicae, ad quas secundum Clarus pertinent imaginatio exaltata per lectionem librorum animum commoventium, aut cupidinem sexualem incendentium, porro imbecillitas voluntatis ludibriis phantasiae reniti nequeuntis, spes frustrata matrimonii desiderati, stimulus in venerem irritatus et non satiatus, praecipue tempore menstruorum, conjugium infelix, abortus repetitus, partus

difficiles, abstinentia repentina amplexuum in illis, quae deditae fuerunt, unde viduae aut meretrices, quae propter scabiem, aut syphilidem, aut crimen quoddam in nosocomio, aut carcere versantur, haud raro ovariorum inflammationibus obnoxiae fiunt. Quae origo postrema a Claro primum observata analogon habet in origine delirii trementis apud potatores, qui coacti repente spirituosis abstineant. — Causae proximae, quae opportunitate praesente oophoritidem excitare valent, hae fere sunt:

1. Mechanicae, velut violentiae abdomini illatae, cujus rei ipse vidi exemplum, in quo foemina post plagam vehementem, abdominis oophoritidem erat nacta; deinde laesiones internae, quales in partubus laboriosis non raro occurrunt; tum masturbationes saepe repetitae; abusus denique copulae brevi post exantlatam uteri aut ovariorum inflammationem, turgore in illis organis nondum resoluto.

2. Dynamicae, sicut refrigerium, praesertim durante quadam cura mercuriali; rheumatismus vel fluxus menstruorum, vel sudores habituales subito suppressi; impetigines imprimis herpeticae retropulsae; metastases lacteae; abusus emmenagogorum et ecbolicorum, praecox Venus, systema uterinum in continua appetentia constitutum.

Prognosis generaliter, quod quidem attinet vitam servandam, bona, quod sanationem, valde dubia pronuntianda est, cujus rei caussa est et situs ille ovariorum profundus atque absconditus, et exiguus eorum cum ce-

teris corporis partibus connexus, qui efficaciam medicamentorum vel optimorum atque aptissimorum quasi obtundit; et diagnosis morbi difficilis, quae efficit, ut morbus aut eo demum tempore curationi tradatur, quo processus jam maximos fecit, aut non recte dignotus false curetur. Prognosis casus concreti ceterum pendet:

1. A caussis: eo pejor illa, si hae sunt psychicae.

2. Ab aetate aegrotae: quo provectior haec, eo pejor illa.

3. Ab ejusdem valetudine reliqua, in cachectico individuo prognosis mala.

4. Ab extensione inflammationis: si utrumque ovarium est inflammatum, prognosis pejor, quam si unum tantum; eadem, si inflammatio et tunicam serosam et substantiam ovarii propriam corripuit; melior est, si pulpa quam si tunica serosa est inflammata.

5. A varia specie: species haemorrhagica auctore Schönlein laetiorem reddit prognosin, quam mera, acuta; utraque autem multo meliorem quam chronica. In oophoritide puerperali, quae maxime est infausta, prognosis a gradu potissimum febris pendet.

6. A complicatione: quo gravior morbus, quocum oophoritis est complicata, hoc pejor prognosis.

7. A terminatione: si revolvitur inflammatio, atque etiam, si sola lympha plastica exsudata est, prognosis est bona, si in suppurationem exit, valde dubia; mala, si abscessus aut non dirumpitur, aut in cavum abdominis

pus effundit; aliquantulo melior, si pus extrinsecus ejicitur, si in gangraenam abit, pessima. Si degenerationes oophoritidem soquuntur, prognosis omnino dubia est, vergens ad malam.

Cura. I. Indicatio causalis tam gravissima est, quam ad exsequendum difficillima. Nam causae psychicae, quae oophoritidem aut provocavere, aut opportunitatem paravere, remediis directis nunquam, indirectis perraro tantum repelli possunt. In universum diaeta severa et efficacissima est, et aptissima ad nimiam systematis genitalium irritationem tollendam: cibus simplex, non irritans neque cum condimentis paratus, quippe quae fere omnia sint aphrodisiaca, dormitio in lecto strangulis duris instructo, commoratio in atmosphaera subfrigida, lectio prohibita librorum phantasiam commoventium, studium in rebus utilibus situm, rusticatio, vestitus amplus atque levis, coitus modice tantum commissus. Impetigines suppressae revocentur oportet, rheumatismus, e partibus extremis retropulsus, in his denuo excitetur, menstruatio suppressa iterum proliciatur, quem vero ad finem remedia irritantia non sunt adhibenda, immo derivantia, uti venaesectiones in pedibus institutae, hirudines ad lumbos atque labia pudendi applicatae, pediluvia etc.

2. Indicatio morbi. Morbus antiphlogisticam quidem methodum postulat, sed eam non tam strenuam, quam aliae inflammationes. In oophoritide mera detractiones sanguinis locales per hirudines, aut cucurbitulas

cruentas factae sufficiunt, in oophoritide autem cum peritonitide complicata vena secanda, nec minus in ea specie ex suppressis mensibus nata est. In universum remedia externa in oophoritide curanda efficacissima sunt atque ex iis haec sunt commendanda. Inunctiones unguentorum cum hydrargyro hydrojodico vel hydrobromico praeparatorum, vel unguenti cinerei cum remediis narcoticis conjuncti. Eadem remedia narcotica fomentis calidis quoque ex herbis emollientibus paratis, locoque dolenti imponendis possunt addi, quae in complicatione imprimis cum peritonitide sunt indicata. Qua deficiente atque oophoritide e nimia systematis genitalium irritatione originem ducente, nec minus in oophoritide haemorrhagica, optime convenit frigus sub forma aquae frigidae vel solutionis Schmuckerianae, qua lintea compressa insuccata abdomini imponuntur. Remedia interna non id praebent utilitatis, quod externa, quam ob rem in usum nonnisi talia vocantur, quae sedes excitent, imprimis Hydrargyrum muriaticum mite, quocum, si febris non ita vehemens est, camphoram licet jungere, quae irritationem genitalium deprimat. Cum inflammatione fracta symptomata nervosa praevalere incipiunt, remedia nervina in usum sunt vocanda, uti opii praeparata, flores zinci, castoreum, valeriana, asa foetida, alia.

Diaeta sit alba, blanda, potus aquosus, frigidus, cibus e vegetabilibus paratus, coffea vinumque omnino rejiciantur. In oophoritide chronica, si timendum, ne in

degenerationes ovariorum exeat, optime conducunt aquae muriaticae, imprimis quae simul continent salia hydrojodica atque hydrobromica, uti Ischl et Kreuznach.

3. Indicatio exituum. Si per crises inflammatio resolvitur, hae sunt quam maxime colendae, tam generales quam topicae. Cutis balneis et remediis diaphoreticis frigidis aperiatur, atque renes diureticis incitentur. Suppuratione vero exorta aegrota in lecto ita collocetur, ut ovarium recto propius admoveatur, quocum coalescere possit; quo facto abscessus in rectum interdum dirumpitur. Is exitus soli naturae permittitur, nisi fluctuatio evidentissima per rectum sentitur, quod si ita est, pus per ferramentum cannula instructum emitti oportet, quem ad modum in hydrope ovarii fieri solet. Praeterea aegrotarum vires remediis amaris, potissimum China sunt sustentandae. Ovarii degenerati exstirpationem a Lissart praepositam Paletta, Matth. Smith et Ritter non sine prospero successu instituere.

4. Indicatio symptomatica. Vomitus atque symptomata, tam hysterica quam in vesica rectove apparentia, adeo urgent interdum, ut curam specialem postulent. Contra hysterica phaenomena exutoria ad pectus et ad praecordia applicata adhibeantur; contra symptomata e vesicae rectique affectione proficiscentia detractiones sanguinis locales, inunctionesque unguenti opiati alicujus circa anum et in regione vesicali instituantur.

VITA.

Ego Albertus Grubitz anno hujus saeculi vigesimo, die septimo mensis Januarii Neuhaldenslebiae, oppido prope Parthenopolin sito, patre Francisco Christiano Ernesto, regi a consiliis justitiae, matre Minna e gente Mahner, quos Deus optimus maximus vivos mihi ac salvos hucusque servavit, genitus sum. Confessionem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in schola urbis patriae imbutus, Parthenopolin me contuli, ibique gymnasium cathedrale, quod tunc temporis directore Beato Matthias, postea directore Ill. Funk florebat, per septem annos frequentavi. A. MDCCCXXXVIII mense Aprili maturitatis testimonio instructus, inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per proxima octo semestria audivi:

Cel. Wolff sen. de hodegetice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de medicinae historia; Cel. Beneke de logice; Ill. Mitscherlich de chemia, tam anorganica quam organica; Ill. Link de botanice, historia naturali et de toxicologia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et de anatomia organorum sensuum; Ill. Müller de anatomia universali, de physiologia, de anatomia comparata et pathologica; quo eodem una cum Ill. Schlemm duce cadaveribus rite secandis operam dedi; Cel. Eck de physiologia, de pathologia et therapia generali; Beat. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Ill. Horn de morbis syphiliticis; Ill. Jüngken de chirurgia; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Ill. Schönlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Kluge de arte fascias chirurgicas rite imponendi, de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia et de akiurgia; Cel. Froriep de akiurgia; Exp. Angelstein de operationibus ophthalmiatricis.

Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthal-

miatricis, obstetriciis, medico-forensibus interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Beat. Osann, Wolff jun., Schoenlein, Juengken, Dieffenbach, Wagner, Kluge.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Animam dividi posse.
2. Inflammationes occultas nullas exsistere.
3. Tenotomiam esse spasmodicum remedium.
4. Venaesectionem in operationes leves minime esse referendam.